

proflueret, eosdem etiam spiritu baptizat peccata illis relaxando et spiritus sancti dona ministrando; sive fideles eius invocato nomine ipsius aqua baptizent electos et chrismate sancto perungant, eosdem nihilominus ipse spiritu sancto baptizat et eodem laetitiae oleo perungit: quia nemo praeter ipsum peccatorum nexus solvere et spiritus sancti valet dona tribuere.

23. Unde iterum, sicut^a et supra diximus^a, in evangelio scriptum est¹, quia nemo 'potest peccata dimittere nisi solus Deus'. Et Dominus dixit discipulis suis²: 'Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis'. Ipse enim, ut Leo et Augustinus ac caeteri catholici doctores exponunt, peccata hominibus per eos dimittit, quibus potestatem dimittendi concedit. Et item in evangelio scriptum est a Domino *quasi singulariter dictum *t. 28¹. fuisse beato Petro³: 'Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis'. Cum post resurrectionem suam legamus insufflasse eum et dixisse apostolis⁴: 'Accipite^b spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt'. Omni⁵ igitur electorum ecclesiae iuxta modum culparum vel paenitentiae ligandi ac solvendi datur auctoritas. Sed ideo beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni caelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intellegant, quia, quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semet ipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi nec ianuam possint regni caelestis ingredi.

24. Ita et, cum sacri canones Nicheni concilii, quos^c apostolica sedes veneratur atque custodit et custodiri ab omnibus suo privilegio præcipit^c, dicant: Si⁶ quis post diffinitionem sancti et magni concilii tale aliquid agere temptaverit, quasi⁷ contra magnum concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur vel deiciatur⁸ a clero et alienus existat a regula et a⁹ ministerio cessare debet; et synodus Calcedonensis¹⁰ eos, qui ausi fuerint post diffinitionem magnae et universalis huius synodi quicquam ex his, quae sunt pro-

^a) sicut — diximus *übergeschrieben*.

^b) *Davor ein Wort radiert*.

^c) quos — præcipit *mit Verweisungszeichen über der Zeile nachgetragen*.

¹) *Luc. 5, 21.*

²) *Joh. 20, 22. 23.*

³) *Matth. 16, 19.*

⁴) *Joh.*

20, 22. 23. ⁵) *Vgl. Hinkmar. Migne 126, 363 und 610; oben S. 58 N. 1.*

⁶) *Migne 67, 150 c. 15.*

⁷) *Migne 67, 147 c. 2.*

⁸) *Migne 67, 151 c. 17.*

⁹) *Migne 67, 152 c. 18.*

¹⁰) *Migne 67, 173 c. 10.*